

transcriptum sub consignatione sigilli nostri mediocris, ipsis dari facere dignamur. Cuius quidem Copie continentia talis est: Benedictus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiscopo Strigoniensi Salutem et Apostolicam benedictionem. Contingit interdum aliquam consuetudinem reperiri, que recto rationis obuiet, mortalitatis venustati repugnet et sacris presertim Canonibus contradicat, illa ueluti corruptella est Principis auctoritate sonora extirpanda radicitus, penitus abolenda et omnino a vulgari errorum obseruantia precidenda, talisque circa id debet cautelle prouisio adhiberi, scripturis authenticis et perpetuis Codicibus commitenda, quo in parte deriuetur in posteros, et in illis memoriter propagetur, ne in recidiue contagium per obliuionis rubricam demergatur, fiatque propterea eius detestabilis, iamque dampnate obseruantia rediuiua. Nuper siquidem, ex insinuatione charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Hungarie illustris ad Apostolicum nostrum peruenit auditum, quod in regno suo Hungarie quedam abusus detestabilis inoleuit, uidelicet, quod cum contigit aliquem quocunque modo interfici hominem, ipse interfectus etiam, si testatus decedat, ad Ecclesiasticam nullatenus dimittitur sepulturam, nisi pro eo, vltra omnia funeralia et alia in talibus alicubi consuetudinem vna marca argenti seu marce vsualis monete, illius terre Archidiacono uel uices gerenti eius, in cuius Archidiaconatu idem interfectus sepeliri debet, pro ecclesiastica sepultura plenarie persoluatur. Quod si bona interfecti uel interfectoris ad hoc non suppetant, et propterea restet dicte marce solutio facienda per Archidiaconum uel ipsius uices gerentem, prefatos omnes de parochia ecclesie, vbi talis interfectus sepeliri debet, supponuntur ecclesiastico interdicto, donec de huiusmodi marce dicto Archidiacono uel suo uices gerenti predicto extitit satisfactum. Quare nobis idem Rex humiliter supplicauit, vt de tollenda prorsus abvsione prefata et iniusta exactione predictae marce pro huiusmodi sepultura effectualiter prohibenda, prouidere, de circumspecta Apostolice Sedis Clementia dignaremur. Nos igitur iustum et rationabile merito reputantes, pro sanctionibus etiam canonicis obseruandis fore per Apostolici fauoris presidium in hac parte solide et perpetue prouisionis remedium opponendo, piis et honestis super hoc ipsius Regis uotis efficaciter annuendo, fraternitati tue per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si premissa inueneris ita esse, cum prelata consuetudo euidenter appareat exorbitare a matris tramite, nec non ab honestatis debito discrepare, prefatam consuetudinem, tamquam iniquam et labem Simoniacam continentem, dum modo aliud Canonicum non obstat, autoritate Apostolica patenter detesteris et tollas, eamque facias omnino cessare, ac eandem autoritate generaliter prohibeas, ne aliqui presumant in posterum illam aliquid obseruare, nec ex causa dicte sepulture vltius marcam exigere uel recipere memoratam, contradictores per censuram ecclesiasticam sublato Appellationis obstaculo compescendo, non obstantibus abvsu longeuo consuetudinis antedictae, seu proscriptione, qui possent forsitan in contrarium cauilliose ab aliquibus allegari, siue aliquibus his, per que tradite tibi super hoc potestatis exercitio minus rationabiliter posset quomodolibet impediri, aut si aliquibus communiter uel diuissim ab eadem sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi uel interdici non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, et de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud pontem Sergie An. .ensis Dioecesis. Idus Augusti Pontificatus nostri Anno primo. Istius uero Additionis series hec est: